

juris ordine, probentur. Econtrà, ut amoveatur prælatus regularis, præsertim temporalis, sufficit ad inquisitionem sola clamorosa infamia, neque apices juris attenduntur, sed summarie; plenè tamen probatis delictis, amotio illius fieri potest (c. 24. *hujus tituli*.)

## TITULUS II.

### DE CALUMNIATORIBUS. <sup>a</sup>

#### 15. Q. I. *Quis dicatur calumniator, et quæ pœna illius?*

R. 1.<sup>o</sup> Calumniator in criminalibus dicitur, qui falsò crimen in judicio scienter et dolo malo alteri impingit. Quòd si accusator in probatione deficiat, præsumitur esse calumniator, nisi præsumptio ista elidatur per contrarias probationes (c. *fn. h. t.*): ut si accusator justa causa inductus est ad accusandum, si semiplenè probavit, si testes ante depositionem mortui sunt, si ex ore lethaliter vulnerati auctorem sceleris percepit, vel si minister publicus reum denunciavit, modò non sit suspectus inimicus.

2.<sup>o</sup> Pœna calumniatoris olim fuit inustio litteræ *K* in fronte ex lege Remnia, quam sustulit Constantinus (l. 17. *C. de pœn.*): item pœna talionis, seu ejusdem supplicii, quod reus, si convictus fuisset, sustinisset: sed et hæc pœna abrogata est, et hodie calumniator non solet puniri ultimo supplicio, nisi reus ex calumniosa ejus accusatione morte punitus fuisset: ubi tamen est recepta Const. S. Pii *Cùm primum* 6. *Kal. April.* 1566. verus calumniator puniendus est pœna talionis, uti etiam in illis locis et Ordinibus religiosis, in quibus pœna talionis renovata est.

3.<sup>o</sup> Pœna infamiæ juris hodie perseverat, dummodò accusator per sententiam condemnatus sit de calumnia (l. 4. §. 4. *ff. de his, qui not. infam. c. l. §. 4. ff. ad SC. Turpill. Can. 1. siguis. q. 3.*; et consequenter calumniator, tanquam infamis, fit inhabilis ad dignitates et officia Ecclesiastica, aliosque actus, à quibus infames arcantur. Insuper clericus calumniator privatus beneficio et officio Ecclesiastico, et verberibus castigatus deportatur (c. 1. *h. t.*); sed verberatio ista hodie non est in usu.—Calumniator condemnandus est ad expensas; quod et accidit fisco vel judici, si iste per inquisitionem illegitimam, et ille per procuratores temerè vexet reum.

Ex constit. Bened. XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ* 1. Jun. 1741. §. 8. calumniosè denunciantes vel per se, vel per alios innocentes con-

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto 2. q. 8. et 5. q. 5.—In Pandectis lib. 47. tit. 13. lib. 48. tit. 16.—In Codice lib. 9. tit. 42. usque ad 46.

fessarios de sollicitatione ad turpia, privantur spe absolutionis sacramentalis, quam Pontifex, excepto mortis articulo, reservat Sedi Apostolicæ, licèt huic flagitio nulla sit annexa censura. \*\*

#### 16. Q. II. *Quis dicatur prævaricator, et quæ pœna illius?*

R. 1.<sup>o</sup> Prævaricator est ille, qui reo colludit, veras probationes dissimulando, et falsas exceptiones admittendo, ut reus absolvatur (l. 212. *ff. de V. S.*)

2.<sup>o</sup> Judicium prævaricationis est duplex: *publicum*, dum accusator colludit reo criminis publici accusato, et tunc punitur infamia juris (l. 4. §. *fn. ff. de his, qui not. inf. l. 4. ff. de prævaricatione*), eademque pœna tenetur, ac si ipse in legem commisisset (l. *pen. eod. privatum*), seu moribus introductum contra advocatum, qui accusatori assistens, causam illius prodit, et reo colludit. Pœna illius est extraordinaria (l. 1. *in fn. d. t.*) Porrò in omnibus causis præterquam in sanguine, qui delatorem corrumpit, ex SC. *putà Turpilliano*, pro victo habetur (l. *fn. ff. de prævaricat.*)

#### 17. Q. III. *Quis dicatur tergiversator, et quæ pœna illius?*

R. 1.<sup>o</sup> Tergiversator, quasi tergum vertens, est ille, qui ab accusatione publici criminis semel coepta citra abolitionem desistit (l. 1. §. 7. *ff. ad SC. Turpillian.*) Si autem negotium accusationis differat, non statim est desertor seu tergiversator, nisi elapsus sit accusationis terminus; l. 6. §. 2. *eod.*, *desitisse videtur, qui intra præfinitum accusationis à præside tempus reum suum non peregit*; hoc est, reum suis probationibus non condemnavit.—Pœna tergiversatoris in hoc privato judicio est multa 5 librarum auri (l. 3. §. *fn. de prævaricat.*), et jure Codicis quarta pars honorum cum infamia (l. 1. 2. *C. ut intra cert. temp.*) Hodie pœnæ istæ videntur sublatae, cum desistente accusatore, judex ex officio procedat Clar. Pass, et alii). Cessat autem Senatusconsultum Turpillianum in muliere et minori (l. 1. §. 10. *ff. ad SC. Turpillianum*), et in eo, qui statim à principio accusationis, præscriptione temporis exclusus est (l. 11. *eod.*), nisi omissa fuisset exceptio præscriptionis (c. 1. §. 10. *eod.*): denique in eo, qui impetravit abolitionem, hoc est absolutionem ab accusando, seu veniam omittendæ accusationis (l. 13. *in fn. eod.*)

2.<sup>o</sup> Abolitio est triplex: Generalis seu publica; specialis seu privata; et legitima (l. 8. 9. 10. *eod.*) *Publica* est, quæ competit ratione feriarum ordinariorum: sed hæc non tam tollit, quàm suspendit accusationem, cum finitis feriis, accusator repetere possit reum (l. 2. *C. de general. abolit.*) Hodie vix est in usu, saltèm quoad reum dimittendum è carcere. *Privata* est, quam petit accusator à judice ex juxta causa, ut quia errore, juvenili calore, inconsulta facilitate ad accusandum provocavit (l. 2. *C. de abolit.*) *Legitima* est, quam concedit ipsa lex sine decreto judicis, ut si accusator vel reus moriatur (l. 10. et l. 15. §. 3. *ff. ad SC. Turpill.*); nam accusationes non transeunt regulariter in et ad hæredes, nisi crimen sit transitorium, ut læsæ majestatis, repetundarum, hæresis (c. 1. §. 3. 4.)

18. Q. IV. *Qui dicti fuerint nuntiatores, quorum meminit l. 6. §. pen. ff. ad SC. Turpill.?*

R. Erant illi, qui in brevi scriptura faciebant indicia et relationes criminum; et his pariter non licebat desistere à suis *notoriis* seu annotationibus: secus incidebant in pœnam Scti. His nuntiatoribus similes sunt procuratores generales in Curiis secularibus, et promotores in Ecclesiasticis, et alii officiales, quibus incumbit sincerè adnotare defectus et crimina aliorum.

*Commeo præcedentium et consequentium.*

19. Posita sunt in prioribus duobus titulis præliminaria iudicii criminalis: in seqq. verò titulis affertur materia seu varia delicta in specie in iudicium criminale deducibilia, quorum tractationem priusquam aggrediar, operæ pretium duxi generalem notitiam et seriem delictorum hic præmittere. Unde:

1.<sup>o</sup> *Delictum* pro præsentis est, factum exterius contra legem dolo vel culpa admissum. Dicitur:—I. *Factum*, sub quo etiam venit omissio peccaminosa: *exterius*, quia iudex homo de internis non iudicat (*c. 31. de Simon.*), et *cogitationis pœnam nemo patitur* (*Can. 14. de pœnit. d. 1.*)—II. *Dolo vel culpa*, putà juridica, quia alterutrum sufficit, ut iudex delinquentem condemnare possit. *Delictum* et *crimen* promiscuè in usu et jure usurpantur, cum delictum non tantum *privatum* sed et *publicum* dicatur.

2.<sup>o</sup> *Delictum* variè dividitur:—I. In *verum*, quod ex vero dolo aut vera culpa fit; et *quasi delictum*, quod ex præsumpta culpa fieri dicitur: ut malè iudicare per imprudentiam, delictum effusi, dejecti suspensi: item exercitor navis, cauponæ, stabuli ex quasi delicto tenetur, si ipsius ministri furtum vel aliud damnum aliis faciant, cum uti debeat opera hominum fidelium et proborum (*titul. Institution. de obligat. ex quasi delict.*)—II. In *publicum*, quod ex aliqua lege publicorum iudiciorum descendit, et punitur ad vindictam publicam, ut crimen læsæ majestatis ex Julia majest. et alia enumerata libr. 48. *ff. tit. 4. et seqq. Privatum*, quod lædit privatam personam, cui proinde conceditur agere ad interesse, et pœnam sibi applicandam, ut furtum, rapina etc. (*cit. Inst. de oblig. ex delicto et l. 47. ff. fere per tot.*) Hæc divisio jure Rom. introducta non attenditur in foro Can.; imò hodie nec in foro sæculari, cum teste Claro et aliis, de generali consuetudine omnia ferè delicta facta sint publica, cum iudex in omnibus procedere possit ad vindictam publicam.—III. In *Ordinarium*, quod certum nomen et pœnam à jure taxatam habet; et *extraordinarium*, quod nec certum nomen, nec certam pœnam in jure habet, sed punitur arbitrio iudicis; et ideo vocatur *innominatum* seu *stellionatus: l. 3. §. 1. 2. ff. stellionati* ibi: *Ubi cumque titulus criminis deficit, illis stellionatus objiciatur*; ut si quis vendat aquam coloratam pro vino, vitrum pro gemma. Nomen hoc fractum est ab animalculo *Stellione* versutissimo, pellem variis

maculis, quasi stellulis refertam habente, hominique maximè insidiante. Omnis ergò fraus et impostura, quæ proprium nomen in jure non habet, venit nomine generali *Stellionatus*, cujus exempla complura referuntur *cit. tit. Stellion.*—IV. In *exceptum*, et *non exceptum*. *Exceptum* seu irregulare est, quod communem iudiciorum regulam non sequitur, sed admittit accusatores et testes aliàs de jure inhabiles; et contra illud iudex speciali inquisitione procedere potest, licèt infamia personæ non præcesserit. Talia delicta sunt: crimen læsæ majestatis, præsertim perduellionis, prodicionis patriæ, seditionis; item hæresis, simonia, blasphemia, grave sacrilegium, dilapidatio bonorum Ecclesiæ aut monasterii, crimen fraudatæ annonæ, latrocinium, assassinium, crimen falsæ monetæ, privatorum carcerum, et hodie etiam furtum, adulterium, stuprum, sodomia et alia gravissima delicta. *Non exceptum* seu regulare est, in quo proceditur regulariter secundum jus ordinarium, servata forma accusationis, denuntiationis et inquisitionis.—V. In *notorium*, *manifestum* seu *diffamatum*, et *occultum*. *Notorium* est, quod ità patet, ut nulla tergiversatione celari possit: et quidem si pateat in jure, quia reus de illo convictus vel confessus est, dicitur *notorium de jure*, seu *notorietate juris*: si verò patratum sit in loco publico in præsentia multorum, dicitur *notorium de facto*, seu *notorietate facti*. Quod autem homines adesse debeant ad hoc, ut delictum dicatur notorium notorietate facti, jure definitum non est; adeoque id relinquitur arbitrio iudicis. Ex communi sententia sufficiunt decem personæ in magna communitate, ut civitate; in minori verò sex aut quinque, coram quibus præsentibus delictum sit patratum. *Manifestum*, quod sæpè confunditur cum notorio, propriè est illud, quod per famam manifestatur, seu divulgatur inter plures seu potiore partem communitatis; et ideo vocatur *diffamatum*. *Occultum* est, quod committitur clam, ut publicè non innotescat. Et hoc, vel est occultum *absolutè*, seu improbable, quod vel à nullo scitur, vel tantum ab uno præter delinquentem, ità ut in foro externo plenè probari nequeat; vel est occultum hic et nunc, attamen *de se probabile*, quod scitur saltèm à duobus, ità ut in foro externo probari possit.—VI. *Delictum aliud est noxium communitati*, quod vocari solet *publicum*; aliud *noxium tertio*; aliud *noxium soli delinquenti*, seu *merè personale*, quod directè nulli alteri nocet, nisi personæ delinquentis.—VII. Aliud est *reale*, quod transit ad hæredes delinquentis; non quidem quoad pœnam corporalem, sed quoad compensationem damnorum à defuncto causatorum: v. g. per furtum, homicidium etc.; aliud *personale*, cujus pœna non transit ad hæredes, ut fornicatio, blasphemia, adulterium etc. Ceteræ divisiones facilè ex vocibus innotescunt.

3.<sup>o</sup> De jure Civ. Romano inter delicta privata computantur:—I. Furtum.—II. Junctio tigni alieni, seu ædificatio ex materia aliena.—III. Surreptio vel corruptio alicujus rei hæreditariæ ante aditam hæreditatem facta ab eo, qui testamento manumissus est.—IV. Furtum à nautis, cauponibus et stabulariis commissum.—V. Furtum à familia

seu servis commissum.—VI. Cæsis furtiva arborum.—VII. Rapina et damnum dolo malo in turba datum.—VIII. Rapina vel aliud damnum in rebus tempore incendii, ruinæ, naufragii vel navis expugnatae factum.—IX. Injuria et famosus libellus.—X. Extraordinaria crimina, quorum plura enumerantur *tit. ff. de extraordinar. criminib.*: ut sollicitatio alienarum nuptiarum, matrimoniorum interpellatio etc.—XI. Crimen sepulchri violati, concussionis, abigeatus, prævaricationis, receptationis latronum, furtum balnearium, crimen effractionis et expilationis, expilatæ hæreditatis, stellionatus, termini moti, collegii seu corporis illiciti: ita hæc delicta enumerantur *libr. 47. ff. à tit. 2. usque ad fin.*—Inter delicta publica numerantur:—I. Crimen læsæ majestatis, ex *L. Julia Maj.*—II. Adulterium, ex *L. Jul. de adulteriis coercendis.*—III. Vis publica, ex *L. Jul. de vi publ.*—IV. Vis privata, ex *L. Jul. de vi privata.*—V. Homicidium et veneficium, ex *L. Cornelia de Sicariis.*—VI. Parricidium, ex *L. Pompeja de parricidiis.*—VII. Crimen falsi, ex *L. Cornelia de falsis.*—VIII. Crimen repetundarum, ex *L. Julia repetundar.*—IX. Crimen fraudatæ annonæ publicæ, ex *L. Julia de annonæ.*—X. Crimen peculatus, sacrilegii, et de residuis, ex *L. Jul. peculatus.*—XI. Crimen ambitus, ex *L. Julia ambitus.*—XII. Plagium, ex *L. Fabia de plagiariis.* Habentur hæc omnia *lib. 48. ff. tit. 4. et seq.*, et enumerantur mixtim *lib. 9. C. per tot.* Ego suis locis in hoc libro ea inserere non omitam.

4.º De jur. Can. alia est partitio delictorum. Nam I. Agitur de delictis adversantibus religionis et fidei catholicæ, ut est simonia, hæresis, etc.—II. De delictis adversantibus justitiæ et proximo, uti est homicidium, adulterium etc.—III. De delictis propriis clericorum, uti sunt venatio, ministratio clerici excommunicati etc.—IV. De pœnis delictorum etc.—Vide Synopsim in Proleg. n. 31. His de generalitate delictorum præmissis, transeamus ad delicta in specie.

### TITULUS III.

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR. \*

20. *Nota I.* Simoniam nomen traxisse à celebri Mago Simone, qui pecunia emere voluit Spiritum Sanctum (*Can. 8. Salvator. 1. q. 3.*): ipsum verò delictum emendi spiritualia pro temporalibus, etiam anterioribus temporibus commissum fuisse, constat ex *Gen. 25. v. 33.*, ubi legitur Esau primogenita, quibus annexum fuit sacerdotium, vendidisse fratri Jacobo, et *Num. 22.* ubi legitur Balaam prophetiam ven-

a.—Agitur de hac materia in Extrav. com. h. t.—In Decreto *causa prima* per tot. et *Can. 33. sancitum 7. q. 1.*, et *Can. pen. 15. q. 3.*—In Trid. sess. 21. c. 1. 9. de ref. *sess. 22. in decr. de observ. et edit. circa miss. S. 24. c. 14. de ref.*

didisse, et 4. *Reg. 5.*, ubi Giezi pretium accepit pro sanitate restituta Naaman Syro, etc. Quamvis autem simonia ex objecto suo non sit omnium delictorum gravissimum, tamen compilerator à simonia seriem delictorum inchoare voluit; quia ista est crimen maximè perniciosum, et à Sac. Canonibus vocatur turpissimum lucrum, vulnus cancerosum, flagitium horribile nimis, comparandum blasphemiae Judæorum et peccato Judæ proditoris, labes et pestis tanta, ut sui gravitate et magnitudine alios morbos, ipsamque hæresim vincat (*Can. 14. cum ordenaretur 1. q. 1. Can. fin. 1. q. 7. etc.*)

*Nota II.* Simoniam quoad rem definiri: *Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum*: ita Com. cum *S. D. 2. 2. q. 100. ar. 1.* Dicitur:—1.º *Studiosa voluntas*, hoc est, actus deliberatus voluntatis, seu pactum.—2.º *Emendi aut vendendi*, quæ verba latè intelligenda sunt pro quovis contractu oneroso, quo res spiritualis datur pro temporali, ut emptio, venditio, locatio, permutatio, contractus innominatus, do ut des etc. Et in tali pacto oneroso consistit forma simoniæ: materia verò illius est res spiritualis seu spirituali annexa tanquam merx, et res temporalis tanquam pretium.—Nec refert, quod in data definitione non exprimitur *temporale*; nam satis clarè intelligitur in verbo *emendi* aut *vendendi*. Et quamvis simonia completa afficiat duos contrahentes, committi tamen potest inchoativè ab uno, sicut accidit in simonia mentali: sic solus Simon Magus simoniam commisit volendo emere Spiritum Sanctum ab Apostolis.

*Nota III.* Simoniam non adversari fidei aut justitiæ, quia non continet errorem speculativum contra revelationem divinam, nec per se lædit jus alterius, licèt quandoque per accidens, hæresis vel injustitia misceatur simoniæ: ut si quis pertinaciter judicet licere spirituale vendere pro temporali; vel vendat spirituale, ex quo nullum temporale commodum emptor habeat: quo sensu simonia dici solet hæresis, hæretica pravitas, sacrilegium Judæ (*Can. 3. et seqq. 1. q. 1. et alibi passim*): unde in veriori sententia dicendum, simoniam per se adversari Religioni et esse peccatum ex genere suo gravissimum, contentum tanquam speciem sub genere sacrilegii. Nam sacrilegium est violatio rei sacræ; sed formalis malitia simoniæ consistit in violatione rei sacræ; tum quia res spiritualis, excedens omne pretium temporale, indignè tractatur, dum deprimitur et adæquatur temporale; tum quia Deo et rebus divinis gravis irreverentia infertur, dum res istæ, quas Deus voluit gratis dispensari, pretio et pecunia dispensantur, et ad commercia humana, longè inferiora, trahuntur; ergò. Quæ hic opponi possent, abundè solvuntur à *S. D. loc cit.*

*Nota IV.* Simoniam dividi:—1.º In *internam*, quæ in solo animo consummatur; et *externam*, quæ prorumpit in actum exteriorem.—Et hæc subdividitur in mentalem, conventionalem, et realem. *Mentalis* seu inchoata est, in qua datur temporale pro spirituali; attamen sine pacto expresso vel tacito, licèt dans mente et animo suo intendat alterum